

pœnitente procedere. Nam *cor contritum & humiliatum DEUS non despicit*. Psalm. LI, 19. Debent porro preces esse seriæ & vigilantes, non casu tantum quodam exortæ & quolibet iterum aliarum cogitationum vento diffatæ, qualis Apostolorum dormitantium erant, ad quos Christus: *vigilate & orate*, Matth. XXVI, 41. Sed tales, quales memorabili verborum coagmentatione descripsit Paulus: *vigilate, state in fide, viri estote, fortes vosmet prestate*. 1. Cor. XVI, 13. Et alibi non vigilantiam tantum ad orationem, sed & *σωφροσύνη*, 1. Petr. IV, 7. requirit, quæ mentem orantis ad prudentem attentionem inflammet, ut in omnibus quasi verbis cum DEO se loqui cogitet. Debent præterea preces ad id, quod à DEO oratur, dispulsis ex animo omnibus aliis cogitationibus, attentæ esse atque devotæ. Ideo enim præcipit Christus, ut *orans ingrediatur cubiculum suum*, Matth. VI, 6. ne à quacunque re alia cogitationes ipsius in diversa distrahantur, sed in secessu cordis sui gemitus in Paternum DEI sinum & oris querimonias effundere possit. Nihil enim facilius est, quam mundi *φαντασματα* & terrenas atque carnales cogitationes attentionem nostram interturbare. Recedentes igitur in solitudinem claudimus oculos, aures obduramus & renunciamus sensibus, ut cum solo DEO uniti eò ferventius illum compellare & eo promptius auxilium ab ipso impetrare queamus. *Longe enim abest Dominus ab impiis, sed preces justorum exaudit*. Prov. XV, 29. Debent denique preces provenire ex corde, ab omni peccatorum macula puro. Quomodo enim beneficia à DEO postulare in precibus possumus, quem maleficiis offendimus, nobisq; reddidimus inimicum? Aut cum quæ à DEO petimus, huic tantum fini obtinendo destinata sunt, ut exsatiandis voluptatibus nostris interserviant? De quibus ideo Jacobus, *petitis & non accipitis, propterea quod male petitis, ut in voluptates vestras insumatis*. Jac. IV, 3. *Audit DEUS hominis linguam, si mundam habeat conscientiam*, ait Augustinus.

XII. Qua argumentorum virtute commoti Ecclesiæ nostræ doctores, V. negarunt, hominem nondum conversum veras validasque ad DEUM fundere pro re quacunque preces posse & si quis hoc asseruerit, Pelagianorum heterodoxiæ accedere, qui pœnitentiam & conversionem ex naturalibus hominis viribus oriri asseruerunt, cum ante actam pœnitentiam, cui fides tanquam essentialis pars involuta

luta